

# Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 147,I

In nomine dei omnipotentis. Burcardus Lugdunensis archiepiscopus et abbacie sancti Mauricii prepositus. Notum sit omnibus sancte Agauni ecclesie filiis, qualiter Goslinus veniens ad nos postulavit, ut sibi et uxori eius Hermingarde et heredibus eorum concederemus per prestarie auctoritatem quandam terram sancti Mauricii, videlicet duo mansa coniacencia infra commitatum Ualdensem in loco qui rustice nuncupatur Scor. Cuius petitioni assencientes laudante seniore nostro rege Rodulfo et confirmantibus fratribus contulimus iam dictam terram tam ipsi quam uxori eius et eorum filiis, accipientes ab ipsis de proprietate eorum lunaticum unum in loco qui dicitur Castellum, item in alio loco qui vocatur Burgundia lunaticum unum cum suis proprietatibus, sub redibicione census XII denariorum annuatim in festivitate sancti Mauricii concessi. Verum ut hoc credatur melius, presentem cartulam firmavit tam ipse quam uxor eius et ad firmandum subscriptis testibus contulit.

Signum Goslini, qui hanc prestartiam firmavit et scribere atque firmare fecit.